D. CAROLUS GOTTLOB KÜHN

PHYSIOLOGIAE ET PATHOLOGIAE PROF. PUBL. ORD.

ET

UNIVERSITATIS LITERARUM LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS

PANEGYRIN MEDICAM

IN

AUDITORIO IURIDICO

D. XXI. MENS. IVLII A. R. S. CIƆIƆCCCXXVI

CELEBRANDAM

INDICIT.

Insunt additamenta ad elenchum medicorum veterum, a Io. A. Fabricio in biblioth. graec. vol. XIII. p. 17—456. exhibitum.

IV.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b22372957

Bassus. Bassorum in veteribus scriptoribus et monumentis antiquis mentio saepissime occurrit. Quam ob rem E. H. Barkerus (*Diss. de variis Bassis* etc. in *The classical Journ.* No. LX. p. 316 seq. et LXI. p. 77. seq.) haud inutilem operam suscepit, cum et loca scriptorum, et monumenta, in quibus de Basso quodam actum est, diligentissime colligeret. Sunt autem L. Aufidius Bassus, Lucii f., Aufidius Bassus, rhetor et historicus, Quintiliani temporibus clarus, Aufidius Bassus, rhetor, de quo Seneca in Suasor.; Cn. Aufidius, a Cicerone commemoratus, diversus uti a tribuno plebis, ita quoque a praetorio, qui caecus in senatu sententiam dixit, et graecam historiam scripsit; Cn. Aufidius Orestes, anno XXXVI. Ciceronis consul; Aufidius Bassus, Augusti et Tiberii temporibus; Caesius Bassus, inter poëtas lyricos relatus; C. Bassus, grammaticus; Salejus Bassus; Iun. s. Iul. Bassus, orator Augusti temporibus; Iun. Bassus, Asinus dictus; Bassus, poëta Martialis tempore, qui eius tragoedias exagitat; Ventidius denique Bassus, qui e mulione praetor, tribunus plebis, pontifex max. et consul evasit. Praeter hos alii Bassi in medicorum vett. libris occurrunt, inter quos Iul. Bassum prae aliis commemoro, quod in eius nomine magna variatio observatur. Nunc enim *Βάσσος Τύλλιος*, unde apud Cael. Aurel. acut. III. c. 16. p. m. 253. Bassus Tullius vo-

catur, nunc *Βάσσος Ἰυλαῖος*, nunc alio modo audit. Hunc Dioscorides initio libri I. inter iuniores botanicos cum Nicerato aliisque retulit. Eius colicen mirificam laudat Scribonius Larg. *comp.* 121. ad q. l. Io. Rhodius de variis Bassis egit. Miror, huius viri laborem Barkero prorsus latuisse. Qui Iulius Bassus num fuerit orator, Augusti tempore clarus, nolo certo statuere. Arthritici remedii Asclepiadae, Basso inscripti meminit Galen. de comp. med. s. gen. VII. c. 11. Aetius *tetrab.* III. *serm.4. c.44.* Marcell. de medic. p. 378. a. ed. Steph. Actuar. *meth. med.* VI. c. de emplastr. malagm. et linim. p. 322. f. ed. Steph. Cum neque huius, neque Aetii textus graece hucusque editus sit, liceat e meis codicibus mstis utrumque proferre. Et Actuarii quidem verba haec sunt: *Τὸ Βάσσου. Τούτῳ αὐτὸς χρησάμενος πρότερον διεσώθην.* (scr. *διεσώθη*) *Ἐλαίου, μυρσίνης,* (comma inter utramque vocem positum delend.) *κυπρίνου ἀνὰ ουγγ. δ΄, ἐλαίου παλαιοῦ, χαλκάνθου ἀνὰ* ʒ *ά ς΄΄, χαλβάνης ουγγ. γ΄, μάννης ουγγ. δ΄, κηροῦ,* ʒ *ά, τερεβινθίνης* ʒ *ά ς΄΄, ὀποπάνακος ουγγ. β΄, βρυωνίας ῥίζης, ἰοῦ ἀφονίτρου* (scr. *ἀφρονίτρου* et ponend. post *ἰοῦ* comma) *προπόλεως* (manifesto corrupta vox ex Aetio emendanda est *πεπέρεως*), *πυρέθρου, ἐφορβίου* (sc. *εὐφορβ.*) *ἀνὰ ουγγ. δ΄, στέατος ἐρίφου ουγγ. στ΄, ὄξους τὸ ἱκανόν· ἕψε βρυωνίαν, πύρεθρον μετὰ ὄξους· ἔπειτα τὸ ὑγρὸν ἐκθλίψας καὶ τοῖς ξηροῖς ἐπιβαλὼν καὶ λεάνας ἐπιμελῶς ἀναλάμβανε τοῖς τηκτοῖς· ἡ χρῆσις ὡς δεδήλωται.* Aetius *l. c.* eandem formulam hoc modo exhibuit: *Ἄλλο ἀρθριτικοῖς Ἀσκληπιάδου. Φάρμακον ἐπιτετευγμένον ἐπιγράφεται Βάσου* *)

---

*) Num haec sic legenda sint: *Ἄλλο Ἀσκλ. φάρμακον, ἀρθριτ. ἐπιτευγμ. ἐπιγρ. Βάσσου,* videat Ill. Weigelius.

(duplicand. σ). τούτῳ χρησάμενος πρότερον; παρηλυθεὶς (scr. παραλυθ.) χρόνῳ πολλῷ, τῆς τοιαύτης διαθέσεως ἀπηλλάγη· ἐλαίου μυρσίνου, ἐλαίου μηλίνου (quod in Actuario omissum est), ἐλαίου κυπρίνου ἀνὰ γό δ′, ἐλαίου παλαιοῦ ※ ϛ″, κηροῦ ※, τερεβινθίνης γό στ′, χαλβάνης γό γ′, μάννης γό δ′, ὀποπάνακος, καστορίου ἀνὰ γό β′, βρυονίας (scr. per ω) ῥίζης γό δ′, ἰοῦ γό β′, ἀφονίτρου (scr. ἀφρον.) λευκοῦ γό δ′, πεπέρεως, πυρέθρου, εὐφορβίου ἀνὰ γό δ′, στέατος ἐρίφου γό στ′, ὄξους τὸ ἱκανόν· ἕψε βρυωνίαν, πύρεθρον τῷ ὄξει καὶ διαθήσας λείου τῷ ἀφεψήματι τὰ ξηρὰ καὶ ἐπιχέας τὰ τηκτὰ καὶ ἑνώσας χρῶ ποτὲ ἀκράτῳ, ποτὲ δὲ ἀνιεμένῳ.

Berytius. Vid. Needham in *Proleg. ad Geopon.* p. LIII. not. 1).

Caelius Aurelianus. Praeter ea, quae A. Hallerus in praef. *Art. med. princip.* to. X. de eo habet, ego quoque programma *de* Caelio Aur., *inter medicos methodicos haud ignobili* cIↄIↄcccxvi. 4. edidi. Et cum exemplum huius scriptoris, quod Dan. Gu. Trillerus multis auxit animadversionibus, in manus inciderit meas, meis qualibuscunque emendatas auctasque, illas inde ab anno cIↄIↄcccxvi. usque ad cIↄIↄcccxxiii. tredecim programmatibus, edere coepi.

Caesarius, medicus Imper. Constantii, eiusque amicus, Christianus, fraterque Gregorii Nazianzeni et Alypii fuit, quo uti voluit Iulianus, ut Caesarium, qui omnis generis virtutibus splendebat, ad paganorum partes traduceret. Ad Alypium, ad quem quoque Libanius epistolam 1454. dedit, scripta est Iuliani ep. 30.

Callimorphus, medicus Trajani, quem in Parthica expeditione secutus est, et hastatorum legionis VI.

Celadianus, Tiberii Caesaris Aug. medicus ocularius, de quo vid. Spon. in *Miscell. erud. antiqu.* p. 143. et in *Recherch. d' Antiquité* p. 423.

Chariton, medicus ocularius, qui, iudice Pt. Wesselingio in *Comm. de vett. medic. ocular.* obs. I. in *Act. soc. lat. Ienens.* to. III. p. 48—55., num unus idemque cum illo Charitone fuerit, cuius de trochiscis commentarii, teste Dorvillio ad Charitonem, lib. I. c. 1., in bibliothecis lateant, certo adfirmari nequit. Galen. *de antid.* lib. II. c. 13. remedium eius, contra phalangiorum morsus efficax, commemorans eius auctorem ὀχλαγωγὸν dictum esse atque cum illo remedio multa fora circumivisse refert, ut adfectis opem ferret, περιήκει τὰς πανηγύρεις, ἀρήγειν βουλόμενος τοῖς δακνομένοις, in quibus verbis non, uti in Galeno scriptum est, παρήκει, sed παρῆει exhibet Wesselingius, quae duo verba etiam in Xenoph. *Cyrop.* IV. 6. 6. sunt invicem permutata.

Tib. Iul. Clarus, medicus ocularius, cuius gemmam sphragidem, in cuius quatuor lateribus quatuor remediorum ophthalmicorum nomina insculpta sunt haec: DIALIBANV. AD. IMP. DIARHODON. P. IMP. DIAMIS. AD. V. C. DIALEPID. AD. ASPR. Tôchon d' Anneci *l. c.* p. 68. primus publicavit. Et primi quidem collyrii nomen inde fluxit, quod thuris s. olibani resina praecipuam illius partem efficeret. Meminit eius et Alexander Trall. lib. II. c. 5. p. 140. ed. Bas. 1556. 8. quae formula, si partium ingredientium variam proportionem et additum gummi exceperis, cum ea convenit, quam Marc. Empir. *de medicam.* p. 98. a. exhibuit, qui p. 97. b. alius quoque remedii, eodem no-

mine insigniti, mentionem fecit. — *Dialibanos* in hoc Marcelli loco Nancelius in Dialibanon mutandum esse recte vidit. — De collyrio *diarhodon* confer. SAXIUS *l. c.* p. 28. qui id solum p. 55. mirabile videri posse putat, remedio adhuc opus esse *post* impetum, h. e. quando impetus cessavit. Sed medico id mirum non videbitur, quippe qui post inflammationem superatam in oculis saepe remanere debilitatem novit, quae, nisi adhibito remedio partes adfectae roborentur, morbi reditum efficere potest. Etiam WALCHIUS in *antiqu. med. select.* p. 33. et 91. remedia ophthalmica talia commemoravit. — *Diamisus* vel *Diamisy.* De Misy, unde collyrium nomen accepit, cons. Io. RHODIUS ad SCRIBON. LARG. c. 37. p. 75. De compositione autem remedii MARC. EMPIR. c. 8. p. 97. b. — *Dialepidos ad aspr.* De eo vide SAXE *l. c.* p. 43. et P. WESSELING. in *Act. soc. lat. Ien.* l. c.

CLEOPHANES et CLEOPHANTES, et CLEOPHANTAS et CLEOPHANTUS. *U*nde tot nomina huic medico venerint, invenire haud potui. Omnes enim antiqui scriptores, qui Cleophanti mentionem iniecerunt, hoc tantum nomen ipsi tribuunt. Cleophantis nomen, quod ab interprete GALENI *comp. med. sec. gen.* l. VII. c. 7. adhibitum est, haud dubie vitio typographico originem debet. — Dein Plinium *saepissime* Cleophantum commemorare, minime verum est. Nam praeter libr. XX. c. 5. XXI. c. 6. ubi hunc medicum Pastinacae radicem dysentericis commendasse refert; et libr. XXIV. c. 16. ubi ari virtus contra venena ex eiusdem Cleophanti auctoritate praedicatur, et libr. XXVI. c. 3. ubi Asclepiadis artibus, nominis celebritatem inveniendi, enumeratis

haec addit Plinius: *Et quoniam caussas morborum scrutar prior Herophilus instituerat, vini rationem illustraverat Cleophantus apud priscos, ipse* (sc. Asclepiades) *cognominari a frigida danda praeferens alia blandimenta excogitabat;* quae verba luculentissime probant manifestum errorem, in indice auctorum a Plin. commemorator., ab Harduino commissum, Cleophantum a frigida aegris danda cognominatum fuisse. Nam hoc non ad hunc, sed ad Asclepiadem referendum est. Praeter haec tria loca semel tantum inter medicos laudatur a Plinio, e quorum scriptis sua deprompserit, quae libro XXI et sqq. tradidit. Qui denique libr. XXXIV. c. 5. laudatus est Cleophantus, propterea notandus, quod picturas primus coloravit, Corinthius fuit, atque a nostro prorsus diversus. Vino autem liberalius usus esse videtur Cleophantus. Non solum enim in febris curatione illud adhibuit, CELSO teste III. c. 14., sed CAELIUS AUREL. *acut. morb. II. c. 39.* p. 176. reprehendendos esse censuit Cleophanti sectatores, vinum frigidum cardiacis dantes. DAN. autem CLERICI sententia (*Hist. de la méd.* p. 528.), qua Cleophantum *de usu vini in morbis* scripsisse contendit, unde hausta fuerit, mihi non constat. — Cum Antigenes atque Mnemon, Cleophanti sectatores, sub Ptolemaeo Euergeta, adeoque initio tertii ante Chr. nat. seculi clari fuerint, quo iure CELSUS Cleophantum antiquioribus, PLINIUS autem priscis medicis adnumeraverit, facile est intellectu. IUST. FR. CA. HECKERUS, Vir Clariss. (*Geschichte d. Heilk.* Th. 1. p. 547.), ubi de hoc Cleophanto exponit, tres fuisse huius nominis medicos, a se invicem multum diversos, statuit, quorum primus sit, de quo paulo

ante actum est; secundum CICERO (*orat. pro A. Cluent.* c. 16.) *ignobilem* sui temporis *medicum, sed spectatum hominem* vocaverit; tertium paulo ante Galeni tempora vixisse, inde concludit, quod huius discipulus Antigenes tanquam Galeni coaevus memoratus fuerit (*de praenot. ad Epigen.* c. 3.). Inde quoque duo Antigenes, qui a CAEL. AUREL. commemorentur, a se invicem diversos esse coniicit. CAELIUS autem AUREL. semel tantum (*acut. II. c. 10. p. 96.*) Antigenis Cleophantini mentionem iniecit. Antigenes, qui in Galeni laudato *de praenot.* loco occurrit, ad Cleophanti sectatores non pertinet, quippe qui Quinto potius magistro usus, principatum inter medicos obtinere putabatur, propterea ab omnibus potentibus sanitatis curandae caussa in consilium adhibitus.

Q. CLODIUS Q. L. NIGER medicus ocularius occurrit in inscriptione ap. REINESIUM p. 611.

Q. COLIUS, Q. L. NICOMEDES medicus ocularius, sex vir coloniae Iuliae Fanestris apud GRUTERUM inscript. p. CCCCXVI. 8. occurrit.

CONSTANTINUS SIMONIUS. Sub eius nomine varia medicamenta a PLINIO VALER. commemorantur, v. c. Sapa lib. I. c. 2. p. m. 15.

COSMI medici meminit MARCELLUS EMPIR. c. 8. p. 93. a. ed. Ald.

CTESIAS. GALEN. *comm. IV. in Hipp. de artic. to. V. p. 652. l. 51.* Ctesiam ex Asclepiadarum familia progenitum adeoque cum Hippocrate consanguinitatis vinculo coniunctum fuisse refert. Videtur omnino ex hoc loco probabile esse, quod inde collegit

Cel. Baehrius in praef. ad *Ctesiae oper. fragmenta.* Frft. a. M. 1824. 8. §. 6. In Stobaei *florileg.* tit. 100. to. III. ed. Th. Gaisford. e Ctesiae libro II. περὶ ὄρων sequens adducitur locus: Ὄρος ἐστὶ τῆς Μυσίας Τεύθρας καλούμενον,-γεννᾶται δ' ἐν αὐτῷ λίθος ἀντιπαθὴς προσονομαζόμενος, ὃς κάλλιστα ποιεῖ πρὸς ἀλφοὺς καὶ λέπρας, δι' οἴνου τριβόμενος, καὶ τοῖς πάσχουσιν ἐπιθέμενος.

Nunc progrediendum est ad causam indicandam, qua ductus hanc ipsam commentatiunculam edidi. Scilicet commendandus est Praenobilissimus summorum artis salutaris honorum Candidatus,

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS SARTORIVS

MEDICINAE BACCALAVREVS

qui suae, hactenus transactae vitae quasi compendium mecum his ipsis verbis communicavit.

Patre Christophoro Friderico, Medicinae Doctore, et matre Ioanna Carolina Theodora, e gente Bergmanniana, natus sum Dresdae anno seculi praeterlapsi nonagesimo octavo. Quemadmodum de superstite patre, quem Deus O. M. diu adhuc conservet sospitem, ex intimo pectore laetor, matris sic, mihi puero ereptae, obitum pie lugeo. A magistro, cuius gratam memoriam teneo, per plures annos cum omnium omnino literarum elementis imbutus, tum ad gymnasium praeparatus, semestri aestivo anni huius seculi duodecimi in secundam classem scholae, a sancta cruce dictae, Dresdaeque florentis receptus in ea per quatuor annos cum dimidio fida b. Paufleri *rectoris, b.* Küttneri *conrectoris, et*

Grebelii, qui nunc existit huius scholae summum decus atque praesidium, institutione usus sum, et eorum, quae his debeo praeceptoribus, nunquam ero immemor. Anno huius seculi decimo septimo, cum in eo essem, ut rebus pharmaceuticis tractandis me consecrarem, celebre institutum, his dicatum, quod Erfordi sub auspiciis Ill. Trommsdorffii viget, adii et gratissimo animo fateor, me in illo uberrimam invenisse occasionem, chemiam, pharmaciam et botanicen addiscendi, cuius postremae colendae opportunitatem tam agri Thuringiae, quam literarum universitatis nunc abolitae horti, indefesso Prof. Bernhardii studio multum aucti, divitiae praebuerunt. Tribus semestribus ibi transactis, cum altiora studia peterem, anni h. s. decimi octavi semestri hibernali a. b. Rosenmüllero, t. t. R. M., almae Philureae civibus adscriptus sum et in hac litterarum sede philosophiam fundamentalem a Krugio, Logicen et Aestheticen a Wendtio, historiam universalem a Beckio, historiam Germaniae a Weissio, Encyclopaediam et Methodologiam medicam a Puchelto, Botanicen a Schwaegrichenio, Physicen et Chemiam a. b. Gilberto, Anatomen a. b. Rosenmüllero et Webero, Physiologiam et Anatomen comparatam ab eodem, psychologiam empiricam a Wendtio, Pathologiam et Therapiam ab Puchelto, pharmaciam ab Exp. Eschenbachio et doctrinam de partu ab Ill. Jörgio accepi. Ita institutus examine pro Baccalaureatu superato, medio anno h. s. vigesimo secundo Dresdam abii ibique in Regia academia medico-chirurgica cursui chirurgico et medico-practico,

qui incipiebat autumno eiusdem anni, sub moderamine Exp. Ohlii, Ill. Kreysigii et Ill. Frankii summo cum fructu interfui. Lipsiam tum reversus per semestre hibernum anni vigesimi tertii Duce Ill. Jörgio in instituto Trieriano arti obstetriciae practicae operam impendi et semestri sequente per integrum annum sub Auspiciis Ill. Clari, Exp. Kuhlii et Exp. Wendleri regium institutum clinicum in meam utilitatem converti. Per hiemem autem anni h. s. vigesimi quarti clinicen ophthalmicam Duce Exp. Ritterichio frequentavi. Sic a praeceptoribus, ad cineres usque pia grataque mente colendis, praeparatus, ineunte anno vigesimo quinto, examini, quod vocant rigorosum, me subieci.

Quo rite superato, Candidato Praenobilissimo aditus patefactus est, ad summos in arte salutari honores acquirendos. Prius autem quam hisce honoribus ornari potest, disputatio, ab ipso elaborata, *de Rhachitide congenita*, sub praesidio Viri Excell. Experient. Eschenbachii, facultatis medicae Senioris Gravissimi, contra adversariorum defendenda est obiectiones. Quo die xxi. mensis Iulii feliciter peracto ego Cancellarii vice, habita antea brevi oratione, in Candidatum, tali honore dignum, Licentiati medicinae ac chirurgiae iura et privilegia conferam.

Cui solemnitati academicae ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCEPS SERENISSIMVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES DILECTISSIMI, benevole interesse velint, ea, qua decet, observantia rogo.

P. P. Dom. VIII. p. Fest. S. S. Trinit. A. R. S. cIↄIↄcccxxvi.